

Universitätsbibliothek Wuppertal

Lukianu Hapanta

Zwinger, Jakob

Basileæ, [1619]

Widmungsbrief

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1415](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1415)



GILBERTVS COGNATVS
NOZERENVS,

Eximio atq; iuris vtriusq; prudentissimo vi-
ro, Domino Ioanni de Plana, illustris Prin-
cipis ANNAE à Lotharingia
Consiliario,

S. P. D.



N tibi, præstantiss. atq; Iurispruden-
tiss. D Ioannes de Plana, damus hoc
tempore nostras in aliquot Luciani
locos Annotationes: quas summo stu-
dio ac labore, fide etiam optima,
quum hic mecum esses, adscripsimus. Eas si in eam par-
tem à nobis prolatas acceperis, in quam accipere equū
est (neque enim quidquam præter studiosorum utili-
tatem hac in re quasiuimus) breui eadem fide plura
etiam daturi sumus. Quod verò orationem meam qua
ille à quorundam calumnijs propè ex tempore de-
fensus est, tam amanter expetis: facis tu quidem
rem amoris in me tuo, & beniuolentiae consenta-
neam. Id tamen hisce diebus non expecta. Nam quum
ob temporis angustias ad dicendum processerim, pau-
citate locorum atque imaginibus quibusdam conten-
sus, vnde typus erat, ac velut vna, eorum quæ à me
erant dicenda, ex signatis quibusdam locis, quibus o-
rationis lumina, si qua fortè intercurrerent, astrue-
rentur.

EPIST. DEDICATORIA.

rentur. Cetera, que pauca sanè fuerunt, extemporalitas suppeditauit. Verùm quando ita tibi placere video, vt intelligas nihil à me tibi, cui plurimùm debeo, honestè negari posse, nec debere: dabo operam, quantum in me erit, vt quam primùm fieri poterit, ad te veniat, ac fortasse pleniore habitu, quàm inter agendum sit visa. Tempus enim aut studium aliquid adijciet. Tu interim quid de ijs sentias, indicabis. Quod vt facias, te etiam atque etiam rogo. Vale: Cognati, tui obseruantissimi, memor. Omnes mei, vnà cum Frontino, saluere te plurimùm iubet, & gaudere. Nozerethi, pridie Cal. Ianuarij, Anno Christiano

M.D.LXII.

* 4

LV.

